

ut ex decretis in hac collectione relatis. Tametsi vero repudianda sit scriptorum sententia, qui ponunt in Sacerdotum facultate, si velint, privatim lectam Missam celebrare, potest tamen Apostolica Sedes, peculiaribus attentis circumstantiis, in aliqua casu generalis legis temperare rigorem ac privilegium elargiri id agendi, quod pro lubitu fieri nullo modo potest. Sed hac indulgentia Apostolica Sedes parce utitur, ne ex privilegiorum copia inducantur abusus, ideo in eorumdem usu modum praescribit ac debitum ordinem: Exemplo sit indultum, de quo supra favore Ecclesiae tituli *s. Mariae de Antiochia, ac alterius s. Mariae de los remedios* Tolitanae dioecesis.

Datis precibus ab Hispaniarum apud S. Sedem Oratore ad *S. M. Innocentium XII.*, eadem ipse S. R. C. pro voto remisit; et haec, maturo praemisso examine circumstantiarum, quae alicui indulgentiae locum dabant, ita annuendum censuit, ut certus Missarum numerus esset praefiniendus, privilegium nequirent in exemplum adduci et generali decreto anni 1690, quod firmum manet, in peculiari casu derogantum foret. SSmus vero votum S. C. admisit confirmavitque, sed *pro hac singulari gratia literas in forma Brevis* expediri jussit.

Quia tamen temporis successu percrebuerunt abusus et aliqui vel forte plurimi, aut scriptorum placita sequentes aut privilegia jactantes eaque pro lubitu extendentes et interpretantes, privatam Missae celebrationem licitam arbitrabantur: ideo S. C., ne ultro progrediatur et invalescat corruptela, proposito dubio respondit: *Juxta votum*, videlicet confirmanda et ad observantiam revocanda esse decreta vetantiam Missas lectas, praeter unicam solemnem in Sabb. s.; et consulendum SSmo pro revocatione cujuscumque indulti

(scilicet personalis); firmis tamen privilegiis concessis aliquibus Ecclesiis unam alteramve Missam lectam celebrandi, dummodo tamen id non fiat ante Cath. vel matricis festivum campanarum sonitum, ut in responsione ad 2. partem praecedentis dubii. Atque heic loci adnotatum volo, scriptores illos, qui privatam Missae celebrationem licitam existimarunt, floruisse antequam prodiret generale decretum anni 1690, quod non limitatur ad Urbem ejusque districtum sed generalem legem omnibus imponit. Hinc fit, ut sola Apostolica Sedes eam queat relaxare, quin idipsum a locorum Ordinariis fieri possit. Clara sunt verba decreti: *Celebrationem quoque Missarum dicta die Sabb. s. omnino prohibendam in quibuscumque Ecclesiis et Oratoriis privatis et unicam Missam Conventualem una cum Officio ejusdem Sabb. s. celebrandam fore praecepit.* Quum autem hoc decretum Summus Pontifex sua auctoritate firmaverit et ope typorum evulgari jusserit, vim habet legis universalis, quae relaxari nequit, nisi ab eo, a quo lata est.

*Ad dubium 1.*: An post decretum diei 31. Julii 1821 possint amplius Sacerdotes uti Indulto jam impetrato celebrandi Sacrosanctae Missae Sacrificium in Sabb. s.? Et quatenus affirmative;

2.: An Sacerdotes ipsi Indultarii ea die celebrare possint ante quam ab Eccl. matrice cum festivo sonitu Nolarum gloria Resurrectionis annuncietur?

3.: An idem sevari possit iis in Eccl., in quibus ex Apostolico Indulto una alterave Missa celebratur?

4.: An hujusmodi Missis privatim praemittenda sit lectio prophetiarum et litaniarum; an vero incipiendae sint ab introitu?

5.: An Eccles. parochialis omnino adigatur ad functiones Sabb. s. juxta parvum Caeremoniale s. m. Bened. XIII., si sufficienti Clero destituantur; et an hujusmodi in casu Missa ordinanda sit ut in praecedentibus dubiis III. et IV.? Et S. eadem C. ... rescribendum censuit

*Ad 1.*: „Servetur decretum diei 31. Julii 1821 per se clarum.“

*Ad 2.*: „Quum Indultum respiciat Ecclesias, affirmative post solemnem.“

*Ad 3.*: „Jam provisum in secundo.“

*Ad 4.*: „Juxta idem decretum more solito, sed sine introitu post psalmum: *Judica me Deus* et confessionem.“

*Ad 5.*: „Affirmative et servetur in omnibus solitum juxta parvum Caeremoniale Benedicti Papae XIII.“

Atque ita rescripsit et declaravit n. 5132 die 22. Julii 1848.

#### DECRETUM GENERALE.

Celebrationem Missarum die Sabb. s.\*) omnino prohibendum in quibuscumque Eccles. et oratoriis priv. non obstante quacumque consuetudine in contrarium.

Die 11. Febr. 1690.  
(Bull. r. t. XII. p. 181.)

\*) Anno 1710 Vicar. gen. P. Clement. XI. in executionem decretorum saepius a S. C. R. iteratorum districte praecepit omnibus Sacerdotibus tam saecul. quam regul. licet privileg. non celebrare Missas priv. non solum fer. VI. sed etiam fer. V. et Sabb. s. hebdom. majoris, quod etiam intelligi debet non solum in oratoriis priv. sed etiam in Eccles. publ., non obstante quocumque privilegio et contraria consuetudine.

Item *Clemens XIV.* in Brevi ad Episcopum Civitat. virtute s. obedientiae et sub poenis arbitrio imponendis praecepit et mandat Canonicis ejusd. Ecclesiae ne ipsi priv. Missas fer. V. in Coena Dom. celebrari audeant vel praesumant, sed omnes juxta ritum Ecclesiae SS. Eucharistiam de manu Sacerdotis celebrantis Missam conv. eadem die sumere omnino debeant et teneantur (Misc. Theol.).

Si praeter parochum in sua parochia Sacerdos aliquis cujuscumque conditionis aut dignitatis Missam privatim feria V., VI. ac Sabb. maj. hebdomadae celebrare ausus fuerit, ipsum graviter puniemus et a divinis etiam interdiciemus.

(Bened. XIV. in Const. Eccles. 38.; Corresp. de Rome 1848—49. Ed. II. p. 32.)

#### h) Missa solemnis.

*Ad dubium*: an liceat cappellano confraternitatis SS. Sacramenti Montis Marci canere Missam in Sabb. s. in Ecclesia confraternitatis?

S. C. resp.: Servetur decretum Episcopi (quod prohibuit). n. 3457 ad 2 die 25. Jan. 1698.

Vd.: *Sabb. s.* (Missa priv. decr. n. 3433.)

#### i) Ritus huj. diei.

Vd.: *Coena Dom.* (Processio; decr. n. 4647 nota.)

#### SACELLUM.

Vd.: *Oratorium; Capella; Sacellum, in quo cantatur Tertia, vd. Tertia* (locus cantandi).

#### SACERDOS.

##### 1) Adorare debet publice expositum SSmum.

Vd.: *Instr. Clem. §. IX.*

##### 2) Aegrotus SS. Sacr. Euchar. sibi porrigens manu propria.

Si quis Sacerdos aegrotus SS. Viticum suscipere vellet manibus propriis atque in os suum inferre non renuente Sacerdote, damnari non meretur.

*Bened. XIV. Synod. dioec. l. 13. c. 13. c. 19. §. 25.*

## 3) Benedictio.

Vd.: *Bened. Sacerdotis; Regulares* (bened. papal.).

## 4) Benedictionem papal. impert.

Vd.: *Regulares* (bened. pap.; papalis bened.).

## 5) Benedictio coram Episcopo.

Vd.: *Regulares* (bened. pap. t. III. p. 27).

## 6) Caecutiens.

Vd.: *Color param. in Miss. vot. B. V. M.; Missa vot. de B. V. M.; Missa* (Celebrans sedere non debet — Epist. PP. Bened. XIV. n. XXI.); *Utrum Sacerdos caecutiens in Miss. votivis in Dominicis legendis dicere debeat Symbolum?* Vd.: *Missa vot. de Sanctis* (Gloria etc. decr. n. 4560 *Assiss. nota*); *Ordinatio caeci.*

*Ad dubium 1.*: Sacerdos caecutiens ex indulto apostolico celebrare valens Missam vot. de B. V. M. teneturne in ejusdem celebratione indui paramentis coloris praecise albi?

2.: An in eadem Missa privata recitare debeat orationem Officii illius diei et Spiritus s. et omittere *Gloria et Credo* juxta rubricas?

S. C. resp. *ad 1.*: Affirmative;

*ad 2.*: Negative quoad obligationem legendi orationem Officii currentis; in reliquis affirmative. n. 4498 die 16. Mart. 1805.

*Ad dubia 1.*: An talis Sacerdos, cum devenerit ad omnimodam caecitatem, possit licite perseverare in celebratione Missae?

2.: An conditiones appositae in hujusmodi privilegiis sint merae ritualitatis et styli vel obligatoriae in conscientia?

S. C. resp. *ad 1.*: Negative donec novum impetretur a S. C. Concilii Indultum;

*ad 2.*: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. n. 4498 ad 1—4 die 16. Mart. 1805; n. 4867 die 31. Aug. 1839.

*Ad dubium*: Passim concedi solet a S. C. Emorum et Rmorum Cardinalium S. Conc. Trid. interpretum quibusdam Sacerdotibus tenuitate visus laborantibus privilegium recitandi Missam votivam B. M. V. in festis et duplicibus, diebus vero ferialibus Missam defunctorum. Quaeritur ergo primum: An per festa duplicia intelligendae veniant etiam Dominicae privilegiatae et festa majora I. et II. cl. Secundo: An Sacerdos ita privilegiatus se conformare possit quoad colorem, Orationum numerum, Gloria et Credo colori et ritui Ecclesiae, in qua celebret vel dicere debeat votivam Missam ipsi concessam ritu et colore propriis ejusdem Missae? Tertio: An in casu dicere debeat secundam Orationem de festo diei juxta rubricas vel semper *de Spiritu s.* cum tertia *Ecclesiae vel pro Papa*, ex eo quod tenuitas visus nec illam Orationem propriam et quolibet die diversam illi legere permittat? Quarto: An semper in Dominicis dicere debeat Credo? Quinto: An per ferialia intelligantur etiam feriae majoris et vigiliae privilegiatae ex gr. Nativitatis Domini et Pentecostes? Sexto: An praedictus Sacerdos in die commemorationis omnium fidelium defunctorum possit tres illas Missas celebrare, ut in quotidianis defunctorum vel illas legere debeat, juxta ordinem in rubricis praescriptum?

S. eadem R. C. rescripsit, ut infra, videlicet:

„In casu proposito primo: per festa duplicia intelligi etiam Dominicas privilegiatas et festa I. et II. cl. Secundo: a Sacerdote privilegiato adhibendum esse colorem convenientem Missae vot., quae erit sine Gloria et sine Credo. Tertio: dicendam esse secundam orationem *de Spiritu s.*, cum tertia pro Ecclesia vel pro Papa. Quarto: *etiam in Dominicis omittendum esse Sym-*

*bolum*. Quinto: in feriis majoribus et vigiliis privilegiatis, in quibus prohibentur Missae privatae defunctorum, dicendam esse Missam votivam de s. Maria. Sexto: Sacerdotem privilegiatum posse in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, ubi adest Indultum, tres Missas recitare, ut in quotidianis.“ n. 4501 ad 5 die 20. Sept. 1806.

Caecutiensibus Sacerdotibus Apost. Sedes consuevit concedere Indultum celebrandi Missam vot. B. V. M. et de Requ.; dubium oritur: an dictus Sacerdos in Semidupl. et feriis simpl. teneatur sub gravi celebrare Missam de Req. vel possit ad arbitrium semper celebrare Missam vot. de B. V. M.?

S. C. resp.: Negative ad primam partem; affirmat. ad secundam. n. 4594 ad 10 die 12. Apr. 1823.

Tempore, quo ad s. Sedem non patebat accessus, Sacerdos coecus ab Episcopo hanc facultatem a SS. Pontifice habente Indultum habuit celebrandi Missam vot. B. V. M.; sed in decreto omissa fuit obligatio assistentiae alterius Sacerdotis.

Quaeritur:

1. an dictus Sacerdos teneatur sub gravi recurrere ad S. C. Concilii et interim se abstinere a celebratione Missae?

2. an teneatur sub gravi uti assistentia alterius Sacerdotis?

3. an possit semper celebrare Missam vot. de B. V. M. a Pentec. ad Adv. vel assignatam secundum tempus?

S. C. resp.: Ad primum dubii quaesitum: Quatenus Indultum obtinuerit ab Episcopo apost. facultate munito negative; ad secundam: teneri in posterum sub gravi uti assistentia alterius Sacerdotis, quamvis in decreto appositum non fuerit haec obligatio; quoad praeteritum consulat conscientiae suae; ad tertium: affirmative. n. 4594 ad 11 die 12. Apr. 1823.

Caecutiens privilegium habentes Missam votivam dicendi B. V. M. non possunt in die Nativit. D. N. tres Missas votiv. de B. V. celebrare. n. 4878 ad 4 die 11. Apr. 1840.

*Ad dubium*: An Sacerdos caecutiens vel visus tenuitate laborans habensque facultatem celebrandi Missam vot. B. M. V. teneatur in festis ipsius Deiparae celebrare Missam de festo occurrente vel potius votivam sine *Gloria*, exceptis Sabbatis et sine *Credo*?

S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Non teneri ad Missam festi.“

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5102 ad 8.

Die 11. Sept. 1847.

## Claramonten.

Josephus Imarigeon rector Ecclesiae parochialis Dambert Claramonten. dioecesis ob visus debilitatem, cum non possit perfecte legere, supplicavit ipsi facultatem impartiri dignaretur adhibendi assistentem, qui legendo ejus defectui suppleat in Missa sibi que liceat repetendo Missae sacrum peragere.

Et S. C. resp.: Lectum.

Die 18. Dec. 1660.

(Anal. J. P. 1863 p. 369.)

## Granaten.

Quidam hujus dioecesis Sacerdos tenuitate visus laborans ab apostolico SS. Nuncio Matrili degente indultum obtinuit, ut de B. M. V. Missam vot. quotidie legere posset; sed in rescripto mandatum illi fuit, quod in diebus solemnibus, in quibus Ecclesia, ubi celebrat, rubro uteretur colore, Missam vot. legeret de s. Cruce. Juxta varia S. hujus Congregationis decreta Sacerdotes hujusmodi caecutiens simili privilegio donati in Missa vot. B. M. V. non tenentur, juxta rubricas, recitare secundam orationem de festo occurrente aliasque, quae forte ad-

sint, ex ea haud dubia ratione, quod ipsamet visus tenuitas nec illam orationem propriam et quolibet die diversam, nec alias hujusmodi illis legere permittat et ideo 2. oratio de Spiritu s. et 3. pro Ecclesia vel pro Papa illis quotidie legenda assignatur. Cum vero nullum, quod sciam, de hujusmodi Missa s. Crucis in pari casu S. hujus Congregationis decretum loquatur, neque ex rubricis pateat, quid in illo agere oporteat; quaeritur: *quaenam orationes ab illo in diebus, in quibus de s. Cruce celebret, 2. et 3. loco legi debeant?*

*Resp.*: Rubrica generalis Missalis tit. IV., de Missis vot. s. Mariae et aliis et tit. IX. de orationibus, jubet a Sacerdote celebrante Missam vot., quaecumque ea sit, recitandam esse orationem ejus, de quo factum est officium. Nam, quoniam, testante eadem rubrica generali tit. IV. n. 5., quoad fieri potest, Missa cum officio convenire debet; si ex rationabili causa hic consensus inter Missam et officium esse non possit, valde convenit, ut interponatur saltem inter unam et alterum aliqua connexio, scilicet per commemorationem. Monemus tamen, rubricam hic loqui de Missis privatis, nam conventualis Missa debet semper concordare cum officio; cap.: *cum creatura* de celebrat. Miss., ubi adhibetur verbum: *praeceptivum mandamus*. Hoc autem posito, propius accedentes ad dubii solutionem, per argumentum quod vocant a pari, in ea sumus sententia, ut quoniam Sacerdos caecutiens, de quo est sermo, ex potissimo privilegio indulti apostolici deberet, strictim loquendo, quotidie celebrare Missam de B. M. V., quae ideo ipsi est loco Missae currentis, si aliquoties ex injuncta extraordinaria obligatione, ratione coloris celebranda ipsi praescribitur Missa de s. Cruce, non incongrue videtur addi in ea posse

commemoratio de B. M. Hinc propositae quaestioni respondendum esse putamus: „In casu secundam orationem de B. M. V., tertiam Ecclesiae vel pro Papa.“

S. C. resp.: In casu secundam lectionem de B. V. M., tertiam Ecclesiae vel pro Papa.

Die 11. Aug. 1860.

(Anal. J. P. 1861 p. 341 et 351.)

Florentina.

(Conc. Trid. sess. 22.)

Sacerdos Joannes Niccoli parochus s. Romuli in Villamagna dioecesis Florentinae, cum visus debilitatem pateret, anno 1720 consuetam ab hac Sac. Congr. obtinuit licentiam celebrandi diebus festis et duplicibus Missam vot. B. M. V. et diebus ferialibus Missam de sanctorum cum solitis clausulis, quod videlicet non esset omnino caecus, memoriter non recitaret, data insuper Ordinario commissione denegandi licentiam celebrandi, quatenus ipse omnino caecus evasisset; licet enim Vasquez et Suarez alique magni nominis theologi in ea sint opinione, ut illi, qui propter debilitatem visus non possunt legere, si possunt sufficienter hostiam et calicem videre, non sint arcendi a celebrando, si Missam sufficienter memoriter recitent, uti videri potest apud *Dianam* in edit. coordinata tom. 2. tract. 1. resolut. 137., sacra nihilominus haec Congregatio in formula consueta pro caecutiensibus apponit clausulam: „dummodo memoriter non recitent.“

Crescente aetate et postquam Sacerdos Joannes devenit ad annum Septuagesimum, caecus omnino factus est habituque per eum recursum ad summum Pontificem pro facultate continuandi in celebratione Missae votivae B. M. V. diebus festis et duplicibus et Missam defunctorum diebus feria-

libus, instantiae remissio facta est ad hanc Sac. Congr., quae juxta morem scripsit Archiepiscopo Florentino, ut informaret, facto prius experimento coram magistro Caeremoniarum.

Factum fuit experimentum coram praedicto magistro, qui in scriptis retulit, oratorem esse gratia dignum, cum tali peritia polleat, non obstante coecitate, ut nullum sit irreverentiae periculum, si Missam celebret. Archiepiscopus hoc ipsum confirmavit in suis literis, in quibus pro motivo gratiae addidit, oratorem nedum esse Sacerdotem optimae famae et parochum, qui semper suum munus diligenter adimplevit, sed etiam paupertate laborare, cum ex redditibus parochiae non habeat nisi annua scuta quinquaginta monetae Florentinae, quorum partem erogare tenetur pro alimonia capellani, idemque Archiepiscopus concludit, annui posse petitis, dummodo celebret cum assistentia alterius Sacerdotis et eo fortius, quia, si orator Missam non poterit celebrare, periculum imminet, quod parochiani sine Missa diebus festis remaneant propter defectum aliarum Ecclesiarum in parochia et distantiam septem milliarum a civitate et unius milliaris ab alia parochia.

*De promotio ad sacerdotium*, certum est, quod si ille caecus evadat, non habet executionem ordinis quantum ad ea, quae visum requirunt, uti est missae celebratio, teste divo Thoma ter. par. quaest. 82. art. 10. ad 3., ibi: „*debilitas vel aegritudo superveniens ordini sacerdotali ordinem non tollit, executionem tamen ordinis tollit, quantum ad consecrationem eucharistiae, quandoquidem propter impossibilitatem executionis, sicut si privetur oculis*“; secus quoad alia, quae visum non requirunt, uti confessiones audire et conclonari, uti adnotarunt *Majol.* de irregul. lib. I. cap. 20.

§. „caecum“; *Gibalin.* eodem tract. de irregul. cap. 3. consecr. I. §.: „*primo itaque*“ et probat textus in cap. „*presbyterum*“ de clerico aegrotante, ibi: „*ipsum autem caeteris officiis sacerdotalibus fungi minime prohibemus*.“

Punctus itaque est: an ex gratia a summo Pontifice concedi possit et aliquando concessum sit Sacerdoti coeco, ut Missam celebraret et signanter cum assistentia alterius Sacerdotis?

Notae sunt similitudines inter Hincmarum Remensem Metropolitanum et Hincmarum Laudunensem Episcopum, ejus nepotem, qui per duos annos in carcere detentus est et oculis orbatus.

In Synodo Tricassina secunda habita anno Christi 878 coram Joanne VIII. Romano Pontifice Hincmarus Laudunensis ad Pontificem adductus oblato reclamationis libello calamitatum suarum historiam exposuit et Episcopis orantibus ipsum ab excommunicatione, irregularitate et caeteris poenis Pontifex absolvit et facultatem concessit Missae celebrandae, attributo ad vitae sustentationem congruo ex redditibus Ecclesiae, quo audito, Episcopi Hincmarum vestimentis sacerdotalibus indutum ad Ecclesiam detulerunt et signum benedictionis super populum dari fecerunt et sic Synodus soluta est, *uti refert Aimoinus* in actis dictae Synodi, et late prosequuntur *Card. Baronius* in annalibus ad annum Christi 878 n. 24. et seq.; *Natalis Alexander* in historia ecclesiastica disert. 8. saeculi 9. n. 18. et seqq.

De Episcopo, qui in Synodo Tridentina Missam coecus celebrat ex Pontificia dispensatione, mentio habetur apud *Sotum* in 4. dist. quaest. 1. art. 2. et auctores passim testantur fuisse a summo Pontifice dispensatum cum sacerdotibus caecis, ut Missam celebrarent cum assistentia alterius Sacerdotis, *Henriquez* lib. 14. cap. 8.

n. 2. lit. N.; *Diana* in edit. coordinata tom. 2. tractat. 1. resolut. 138.; *Fermosin.* ad cap. 2. „de corpore vitiatis“ quaest. 1. n. 38., ibi: „*At ex dispensatione Papae coecus potest celebrare Missam, si alius Sacerdos aut vir expertus illi adsit coeco celebranti*“; *Michalor.* de coeco, surdo et muto cap. 22. n. 7.; *Gibalin.* de irregul. cap. 3. consecr. 1. §. „primo itaque“; *Leander,* operam moral. par. 5. tract. 2. disp. 2. quaest. 6., ibi: „*An saltem ex dispensatione Papae possit Sacerdos coecus celebrare Missam? Respondeo: posse, casu solum, quo alius Sacerdos aut alias vir expertus adsit ipsi coeco celebranti*“; *Raynald.* in observ. criminal. tom. 1. Venetae edit. ad cap. 8. supplet. 1. n. 55. et 56.; *Episcopus Sarnellus* tom. 9. epistolarum ecclesiasticarum epistola 62. ubi proposita hac quaestione: „*Se un Sacerdote divenuto cieco possa ottenere la dispensa di celebrare quella messa, che sà a memoria; post plura allegata concludit n. 15.: „Sicche col Sacerdote divenuto cieco si dispensa, che possa celebrare quella messa, che sà a memoria, come della Beata Virgini, ò di Requiem, purchè abbia assistente al lato un altro Sacerdote, come ho inteso esser stato conceduto ad alcuni.*“

Et ipse testari possum a sanctissimo Domino nostro concessam fuisse Sacerdoti professo ordinis s. Dominici, qui caecus factus est, facultatem Missam celebrandi cum assistentia alterius Sacerdotis.

Quibus stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

*An et quomodo petitis sit annuendum in casu?*

S. C. C. resp.: Pro gratia cum assistentia alterius Sacerdotis.

Die 2. et 23. Aug. 1727.

#### 7) Celebrandi licentia.

Vd.: *Visit. de Missae celebrat.; Missa* (licentia celebr.).

#### 8) Celebrans in Ecclesia aliena.

Vd.: *Missa in Eccles. aliena.*

#### 9) Celebrans tecto vel detecto capite.

Vd.: *Pileolum; SS. Sacram.* (detecto etc.)

#### 10) Celebrans in Parasceve.

Vd.: *SS. Sacram.* (distribut. in Parasce.)

#### 11) Celebrans ex obligatione propter populi commodum.

Vd.: *Missa* (hora.).

Recte communior theologorum sententia docet: „Sacerdotem, qui nec Animarum Curam neque beneficium neque stipendium obtineat, rem divinam operari debere, cum necessitas id postulaverit, veluti si die festo aliqua parochia Sacrificio careret, eo quod pars populi celebranti Parocho interfuerit, reliqua vero satisfacere praecepto nequeat, quia tantae hominum multitudini Ecclesia satis non fuerit“, ut ait s. m. *Benedictus XIV.* Instit. Eccl. 94. n. 18., quod potiori ratione affirmandum videtur de servanda celebrationis hora populo necessaria.

Sane uberrimo fructu carere ut plurimum fideles debent, ni divinae adstant oblationi, cujus quidem gratiae ab omnibus pie sancteque audientibus percipiendae eos privare sola libertatis et quietis causa nefas esse videtur Sacerdoti, qui monente Apostolo Philipp. 2. non debet quae sua sunt desiderare, sed ea, quae aliorum; Sacerdotale namque postulat ministerium, ex s. Antonini sententia in Summ. part. 3. tit. 14. cap. 7., exhibere tempore suo Sacramenta sancta et orationum munimenta, unde dicitur Sacra dans.

Denique fuse tradit *Ceccoper. Lucubr. Canon. lib. 3. tit. 12.* plurimum Doctorum vestigia premens teneri Sacerdotes quoscumque ad celebrandum obligatos, Missam inchoare debitis horis atque temporibus aptis juxta ordinem tabellae vel mandatum sacristae pro populi commoditate, etsi capellanas de jurepatronatu laicorum obtineant, et Episcopi partes esse in actu visitationis providere, ut prima Missa summo mane et dein caeterae debito intervallo usque ad meridiem, praesertim diebus festis ad populi solatium recitentur. Nec quisquam obstare juris theorema, quod non possit Episcopus novum onus imponere capellaniis jurispatronatus laicorum, quia id intelligitur de majori Sacrorum numero, non autem de norma ordinate peragendi Missas in fundatione adjectas, quod onus nec novum est, cum ab ipso jure sit impositum et ei fundatorem se voluisse conformare praesumitur. Imo nec fundatoribus ipsis, quamvis mere laicales ordinent capellanas, licere pactum apponere, quod Rectores temporibus et horis sibi benevisis libere possint celebrare, quod in detrimentum vergeret servitii Ecclesiae et cultus divini. Haec ille.

Ac revera laudabiliter s. *Carolus Boromaeus* alique Episcopi synodali-bus Constitutionibus providerunt, ut in Ecclesiis, in quibus plures Missae recitari solent, per distincta temporum intervalla ad populi commoditatem dicantur a primo mane usque ad meridiem seu alias per congrua spatia, in Concilio Provinc. Mediolanen. I. part. 2. tit.: Quae pertinent ad celebr. Missarum, Ravennaten. anni 1317 cap. 12., Hispalen. anni 1512 cap. 13., Lucanen. anni 1681 part. 2. cap. 8. n. 16., Fulgenaten. Battistelli cap. 20. §. 6. Rationem reddit Brasch. Prompt. Synod. cap. 81. n. 26., quia Presbyteri non unice pro ipsorum utilitate

promoveantur sed etiam Ecclesiae et populi.

S. C. Episcop. et Regul. in Januen. 18. Martii 1578, quod refert idem Brasch. loc. cit. num. 29., respondit, Sacerdotes etiam, qui ex sola propria devotione vel vigore jurispatronatus celebrant, horis Ecclesiae commodis Sacrum facere debere.

Ex resol. S. C. C. 15. Mart. 1777.

#### 12) Celebrans Episcopo pontif. Sacrum peragente.

*Ad dubium:* An decretum Episcopi, quo interdicitur celebratio missarum lectarum, dum Episcopus missam pontificalem celebrat vel Sacrum sol. die Jovis cum expositione SSmi perficitur, et etiamsi, si ex gravi causa celebrentur, non pulsantur campanulae, sub poena suspensionis sustineatur?

S. C. C. resp.: Quoad sonum campanularum affirmative; in reliquis negative.

Die 13. Sept. et 22. Nov. 1749.

#### 13) Celebrare non potest eadem die in eodem altari, in quo Episcopus celebravit.

Vd.: *Sacerdos* (ordinatus a Pontifice etc. §. 9).

#### 14) S. Communionem infra missam distribuens.

Vd.: *SS. Sacramentum* (distribut.); *Communio*; *SS. Viaticum.*

#### 15) SS. Confirmationis Sacramentum administrans et eccles. consecrans.

*Pius PP. VI.*

V. Fr. Ugoni Episcopo Mazariensi.

Cum, sicut accepimus, Christifideles, qui in insulis Pantellaria et Favignana vulgo nuncupatis ad istam dioecesim Mazariensem, cui Ecclesiae praeesse

dignosceris, pertinentibus, commorantur, propter difficilem accessum atque ex Turcarum incursionibus periculis obnoxium iter Sacramento confirmationis privati existant, quippe quia ad easdem insulas personaliter et commode accedere minime vales, Nos spirituali Christifidelium hujusmodi necessitati et eorum animarum Nostrae tuaeque curae commissarum saluti, quantum Nobis ex alto conceditur, paterna charitate consulere volentes fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut quoad vixeris et ecclesiae Mazariensi ejusmodi praeferis, unum Presbyterum pro unaquaque ex insulis praedictis tibi benevisum moribus gravem ac pietatis et religionis zelo praeditum, qui ibidem Sacramentum confirmationis hujusmodi, receptis oleo et chrismate etiam antiquis, si nova commode haberi non possint, per te seu per quemcumque cath. antistitem gratiam et communionem Sedis apostolicae habentem benedictis, administrare respective possit auctoritate nostra apostolica de speciali gratia delegare, deputare, nominare et eligere valeas.

Non obstantibus apostolicis et in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae die 10. Apr. 1775.

(Bull. r. Contin. t. V. p. 44. Ed. Rom. 1847.)

*Pius PP. VI.*

Etsi juxta sacrosancti Trident. Concilii definitionem in *sess. VII. de confirm. can. III.* solus Episcopus sit ordinarius tanti hujus Sacramenti minister, interdum tamen justis ac gravissimis urgentibusque de causis solet Sedes apost. simplici sacerdoti tam-

quam extraordinario ministro facultate tribuere illud conferendi.

Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Beatus modernus Abbas regularis monasterii s. Mariae de Einsiedlen. Constantiensis dioecesis, quod cum ipse a catholicis subditiōne rerum publicarum Helvetiorum protestantium occulte commorantibus, qui sine gravi periculo palam catholicam religionem profiteri nequeunt ac Sacramentum confirmationis quominus publice suscipiant rationabiliter praepediti sunt, non raro pro administratione Sacramenti ejusmodi adeatur ac ab Episcopo Constantiensi suum praestitum fuerit consensum ac subinde inter eos stipulata concordia, quae in contemporaneis Nostris literis super confirmatione transactionis, quo ad alia capita inter Episcopum Constantiensem ex una et Abbatem Einsiedlensem ex altera parte initae in articulo separato de collatione Sacramenti confirmationis continetur, qua abbati Einsiedlensi ab Episcopo Constantiensi administratio Sacramenti hujusmodi permittitur, sub hisce tamen pactis et conditionibus, quod nempe hisce desuper a moderno Abbate Einsiedlensi a Nobis novum et speciale indultum impetretur sibi et futuris Abbatibus valiturum, quod Sacramentum hoc non nisi in loco occulto et clausis januis ac non nisi iis tantum personis conferatur, quae sub dominio protestantium vicinorum in Helvetia degunt, occulte religionem catholicam profitentur atque sine vitae aut bonorum gravi periculo Episcopum Constantien. aut ejus Suffraganeum adire nequeunt, quodque in aliis casibus quibuscumque Abbas Einsiedlensis a collatione praefati Sacramenti confirmationis utpote ad jura ordinis episcopalis utpote pertinente omnino abstineat, neque etiam indultum a Sede apostolica desuper impetratum ulterius extendere fas sit, prout in praedicta

concordia, cujus tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur, quodque etiam in articulo 5. dictae concordiae constitutum fuerit, ut Abbas Einsiedlensis, in parochiis et locis Einsiedlensibus cum Au et Fahr, Feysisberg, Freyenbach et Sarmensdorf ecclesias tam modo existentes quam illas, quas in posterum praevio consensu episcopali erigere contigerit, unacum altaribus consecrare possit. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ad tramites hujus conventionis memoratus Abbas sibi suisque successoribus novum ac speciale indultum hujusmodi per Nos concedi summopere desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apost. dignemur. Nos igitur, qui paterne omnes omnino Christifideles complectimur illorumque spirituali bono providere tenemur, cum ex conventionem hujusmodi et in catholicis terris heterodoxorum commorantibus, quibus vel maxime divinum affantis spiritus auxilium necessarium est, ut fieri potest, consultum sit et juribus episcopalibus nihil derogatum, ipsum modernum Abbatem Einsiedlensem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati de VV. FFr. N. S. R. E. Cardinalium sacri Trid. Concilii interpretum concilio dicto Beato moderno ac pro tempore existenti Abbati Einsiedlensi Sacramentum confirmationis catholicis occultis in terris Helveticorum protestantium commorantibus et ad tramites in omnibus dicti articuli separati dumtaxat, dummodo tamen sacrum chrisma ab Episcopo pro tempore Constantiensi recipiatur, administrandi et conferendi ac ecclesias juxta art. 5. praedictae concordiae conse-

crandi plenam et amplam facultatem auctoritate apost. tenore praesentium tribuimus et impertimur.

Datum Romae die 1. Febr. 1785.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 369. Ed. Rom. 1843.)

*Pius PP. VI.*

*Ep. Mazar.*

Cum sicut Nobis nuper exponi fecisti tu ob profectam aetatem tuam variasque corporis infirmitates, quibus obnoxius reperiris, ad singula dioecesis tuae Mazariensis loca pro Sacramento confirmationis conferendo personaliter te conferre nequeas, quo autem animarum Christifidelium tuae curae commissarum saluti consultum sit, aliquem Presbyterum, qui Sacramentum hujusmodi loco et vice tua eis conferre valeat, deputare posse summopere cupias, Nos spirituali hujusmodi Christifidelium necessitati providere teque specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, fraternitati tuae dilectum filium Canonicum de Vita modernum ac pro tempore existentem Vicarium tuum in spiritualibus generalem, qui, donec vixeris et dictae Mazariensi ecclesiae praeferis; Christifidelibus locorum dioecesis tuae hujusmodi, ad quae personaliter te conferre non poteris, ut praefertur, dictum confirmationis Sacramentum oleo tamen et chrismate, etiam antiquis, si nova commoda haberi non possint, per te seu per quemcumque catholicum Antistitem gratiam et communionem Sedis apostolicae habentem benedictis servatisque alias servandis administrare libere ac licite possit, auctoritate Nostra apost. consti-tuere et deputare facultatem pari auctoritate tenore praesentium concedimus et impertimur.

Datum Romae die 12. Jun. 1789.

(Bull. r. Continuatio t. VIII. p. 318. Ed. Rom. 1843.)